



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

271. An nihilominus excommunicatus excommunicatione majore, toleratus tamen, possit per exceptionem repelli ab eligendo, quid efficaciam habeat hæc exceptio, & qualiter instituenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

men exercitii vel actus habendi habito pro non excommunicato, nimirum quòd acta ejus sustinenda sint, ita postulante necessitate, & utilitate publicà; Abb. c. ad nostram. de jurejurand. n. 13. cit. à Zoëf.

Quaestio 271. An nihilominus excommunicatus excommunicatione majore toleratus possit per exceptionem repelli ab eligendo? & qualiter instituenda?

1. **R**espondeo ad primum affirmativè. Laym. de elect. q. 26. Pass. cit. c. 10. n. 71. cum communi. Tamen enim ut Idem per extrav. ad evitanda. permissum fidelibus cum tali communicare, non tamen etiam per dictam extrav. ablatum à fidelibus, quin possint juxta jus antiquum vitare occultè, si occultus est, publicè, si publicus est; adeòque poterunt Electores eum vitare, si sit notorius, vel contra ejus votum potestari; quæ tamen protestatio foret frustranea, si non est spes probandi excommunicationem in judicio; imò quòdque contra justitiam vel caritatem. Pass. loc. cit.

2. Respondeo ad secundum & tertium; exceptionem talem supervenientem electioni jam factæ invalidam esse, & nihil operari; quia Capitulum eligens ante omnem oppositionem, & reclamationem, non obstante tali excommunicatione, jam legit validè. Pass. n. 78. & AA. iidem cit. pro resp. ad q. preced. Si verò præcesserit electionem factam ab uno alteròve tantum (non enim hoc ipso tenentur alii Electores talem excommunicatum rejicere, sed possunt, si volunt, cum eo communicare vi cit. Extrav. ad evitanda.) agendum est protestationibus, & fugiendum periculum, & scandalum; etsi facta electione constiterit, electum fuisse electum vi suffragii dati ab excommunicato (eò quòd præcisè ratione istius suffragii computati electus jam fuerit à majore parte capituli) vel si de hoc dubium, electio erit cassanda: si autem constiterit electum etiam hoc suffragio non computato habere sufficientia suffragia, electio erit valida & sustinenda. Pass. n. 79. Suar. loc. cit. contra Peyr. cit. q. 2. c. 5. n. 17. docentem absolute, seu in utroque casu electionem irritandam. Quinimo si ex speciali statuto ad validam electionem requiratur consensus omnium, adhuc talis unanimiter ab omnibus facta electio, in qua concurreret excommunicatus toleratus, etiam dum aliquis contra eum protestatus fuisset, foret valida, & dicenda unanimis; cum jam talis excommunicatus propter protestationem contra se factam reditus inhabilis se habuisset tanquam non interfuisset, Bonac. de cens. d. 2. q. 2. p. 5. num. 6. quod ipsum approbat Pass. loc. cit. n. 79.

Quaestio 272. Vtrum notoriè excommunicato non tolerato competat jus suffragii?

Respondeo negativè, c. constitutus. de appell. juncta gl. v. excommunicationis. c. unico. ne sedevac. in 6. Laym. loc. cit. cum communi. Proceditque id ipsum, sive talis excommunicatus sit compromissarius, sive simplex elector. Pass. loc. cit. n. 66. est enim privatus omni exercitio jurisdictionis & officii, adeòque latum ab eo suffragium ipso jure irritum, Arg. c. cum inter. b. t. juncta gl. v. cassata. Porro hæc locum non habent in electione summi Pontificis, etiam si omnes Cardinales Electores essent excommunicati; ut enim vitetur periculum schismatis in Ecclesià, justissime statutum est, ut in hac electione

nulla valeat exceptio excommunicationis Greg. XV. in constit. Æterni Patris. Clem. ne Romani, &c.

Quaestio 273. An ipso facto irrita quoque sit electio, si talis excommunicatus scienter admittatur ad coeligendum?

Respondeo affirmativè. Suar. loc. c. n. 9. Barb. cit. c. 19. n. 56. Navarr. de elect. conf. 1. num. 2. & alii quamplurimi, quos citat & sequitur Pass. n. 65. contra Laym. p. 1. t. 5. c. 2. n. 13. & Castrop. p. 6. de cens. d. 2. p. 13. n. 13. docentes talem electionem solum esse irritandam. Rationem dat Pass. quòd ex eo, quo Electores cum tali communicant in eligendo cooperantes ei in eo, quod ex vi excommunicationis est inhibitorium, vis excommunicationis eos efficiat; & eorum factum vitiet, arg. c. fin. de procurat. ubi Papa ideo censet Procuratorem esse repellendum; quia electio ejus ob admissionem voluntariam excommunicatorum fuit nulla. gl. Abb. Innoc. & alii ibid. Verumque id ipsum adhuc esse in casu, quo electi sunt duo, unus ab excommunicatis, alter à non excommunicatis, ita ut facta ab his electio sit nulla; quia admiserunt ad coeligendum excommunicatos, tenet Leander à S. Sacramento cit. à Pass. Secus dicendum, nimirum validam esse, & remanere electionem, dum alii Electores probabiliter ignorarunt, talem esse excommunicatum non tolerantem; videndum tamen, num. dempto suffragio à tali dato, adhuc electus sit pluribus mediètate suffragiis juxta dicta ad q. 270. Suar. loc. cit. n. 11. Sylv. v. electio. n. 17. Innoc. Abb. in c. illa. b. t. gl. in c. si quando. b. t. in 6. & 16. Gemin. n. 3. & alii plures apud Pass. n. 67.

Quaestio 274. Quid si excommunicatus notoriè non toleratus non possit sine gravi periculo vel scandalo, similemve ob causam expelli ab electione?

Respondeo electionem fore validam. Sylv. Ab. Innoc. li. cit. Necessarium tamen est, ut ceteri Electores protestentur, (quod sufficere fieri occultè, dum nequit sine gravi incommodo fieri publicè, semper tamen coram testibus. Sigism. à Bon. de elect. dub. 63. Pass. n. 68. Abb. in c. illa. n. 7. Peyr. in Subd. q. 2. c. 31. §. 6.) se non velle per hoc censi communicare cum illo, illiusque vorum tanquam nullum habendum, Barb. loc. cit. n. 57. Ant. de Bur. Innoc. Abb. in c. Cumana. b. t. Non tamen opus est, ut non excommunicati in isto casu exeant de Capitulo, & alibi vel alio tempore eligant, etiam si non instet terminus electioni statutus. Pass. n. 69. citans Sylv. Biaxium, Sigism. à Bon. habent enim jus eligendi, cum eis bonum videbitur, quod non tenetur negligere; neque tenetur quis exire suà domo, si ab ea nequit ejicere excommunicatum, aut sua negotia relinquere, quia excommunicatus facit vim, unde cogitur cum eo communicare. Pass. loc. cit. Porro idem dicendum, dum excommunicatus est denunciatus vel notorius percussor Clerici, id tamen non scitur certò; eò quòd percussio vel denuntiatio facta sit alibi, unde non nisi dubia fama pervenit ad locum electionis; cum enim in dubio unusquisque manutendus sit in possessione juris sui, talis non poterit ejici, adeòque Electores habent impossibilitatem (intellige juris) eum ejiciendi, Suar. loc. cit. n. 16. Pass. loc. cit. n. 70.